SYNODI LUDOVICOPOLITANÆ

BX
838
.L68
1874

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

SYNODI

Diœcesanæ Ludovicopolitanæ

IV., V., VI.,

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

IN ECCLESIA CATHEDRALI,

DIE XXI. JULII, A. D. MDCCCLXXIV.,

DIE III. JANUARII, A. D. MDCCCLXXXIX.,

DIE XIX. DECEMBRIS, A. D. MDCCCXCV.,

AB ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

D. GUILLELMO GEORGIO McCLOSKEY,

EPISCOPO LUDOVICOPOLITANO,
HABITAE.

LUDOVICOPOLI.
TYPIS GLAUBENSBOTE PUB. CO.
1896.

Digitized by the Internet Archive
in 2012 with funding from
CARLI: Consortium of Academic and Research Libraries in Illinois

http://archive.org/details/synodidiocesanae00cath

QUARTA SYNODUS

DIŒCESANA LUDOVICOPOLITANA

IN ECCLESIA CATHEDRALI,

DIE XXI. JULII, A. D. MDCCCLXXIV.

HABITA.

OFFICIALES ET SYNODALES.

PONTIFICI MISSAM CELEBRANTI ADSTABANT:

Presbyter Assistens—Adm. R. D. Michael Bouchet.

Diaconi Honorati—Adm. R. D. Gulielmus J. Dunn, R. D. Michael Lawler.

Diaconus Missæ—R. D. L. Bax.

Subdiaconus—R. D. Terentius J. Disney.

Magistri Cæremoniarum—R. D. Patricius M. J. Rock, R. D. Joannes A. Creary.

EXAMINATORES CLERI RENUNCIATI SUNT:—R. D. Alexander J. Harnist, R. D. Georgius McCloskey, et R. D. Dominicus Crane.

JUDICES CAUSARUM DESIGNATI SUNT:—R. D. Michael Coghlan, R. D. Michael Lawler, R. D. Michael Power.

OFFICIALES SYNODI:

Archidiaconus—Adm. R. D. Michael Bouchet, V. G.

Promotor—R. D. Alexander J. Harnist.

Notarius—R. D. Michael Coghlan.

Magistri Cæremoniarum—R. D. Patricius M. J. Rock, R. D. Joannes A. Creary.

CONSTITUTIONES.

CAPUT I.

DE CONCILII BALTIMORENSIS PLENARII SECUNDI PROMULGATIONE.

I. Decreta Concilii Plenarii Baltimorensis II, a Sancta Sede recognita atque sancita promulgamus, vimque legis in Nostra Diœcesi habere declaramus, et ab omnibus, ad quos spectant, omnino servanda jubemus.

II. Ritualis Romani Compendium, jussu Concilii Baltimorensis Provincialis III, editum, in sacramentorum administratione, et in aliis sacris functionibus peragendis adhibendum esse statuimus.

III. Cæremoniale, Baltimori editum, et anglice conscriptum, cui titulus "Ceremonial for the use of the Catholic Churches in the United States of America," adamussim servandum volumus.

IV. Ad præcavendos ritus peculiares et a Romanis alienos, districte vetamus ne Sacerdotes Diœceseos Nostræ, consuetudinis obtentu, vel alio quocumque prætextu, a formis ac cæremoniis in Rituali et Cæremoniali heic approbatis, discedant.

CAPUT II.

DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM.

Memores imprimis oportet esse Sacerdotes divinæ suæ vocationis qua, Deus et Dominus Noster eos rerum cœlestium prædicatores, et æternitatis veluti satores, ante sæcula eligere ac in tempore constituere dignatus est. Quum autem universa hominum natura, cujus et ipsi sunt participes, peccato sit sauciata, omnes eo nervos tendere debent, ut gratiam quæ in

eis est per impositionem manuum resuscitent, jugiter custodiant, ac in dies adaugeant. Sacerdotibus enim Novæ Legis dictum est: "Vos estis sal terræ. Quod si sal evanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet ultra nisi ut mittatur foras et conculcetur ab hominibus." Caveant ergo ne ipsi infatuati corrupta sanare non possint, et "projecti de Ecclesiæ promptuariis," ut ait Sanctus Hilarius, "cum his quos salierint pedibus incedentium proterantur." Nec Sacerdotibus sufficit graviora tantum delicta vitare. Eis enim speciali ratione Apostolus dicit: "Ab omni specie mala abstinete vos." Vitam ergo et mores ita componant, ut habitu, sermone, aliisque omnibus, nihil nisi grave, modestum, ac sanctum præ se ferant.

Quum autem Dominus sit Sacerdotum pars atque hæreditas, talis eorum debet esse vitæ sanctitas, qualem exigit summa sanctitas illius cui ministrant. "Si quis mihi ministrat," inquit Christus, "me sequatur." Princeps etiam Apostolorum Sacerdotes præ cæteris graviter admonet: "In omni conversatione sancti sitis, quoniam scriptum est: sancti eritis, quoniam ego sanctus sum." "Quid igitur mirum" inquit S. Carolus Borromæus, "si necesse est accedentes ad illum sanctificari, ne purissimæ illius Majestatis oculi maculis aut sordibus ullis offendantur." Ut ergo munere suo rite fungatur Sacerdos, auxilium divinum oratione assidua et ferventi efflagitet. Ad Crucifixi pedes orans et vigilans, amorem Dei et proximi in corde suo accendat. "Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo."

I. Ne Fideles Sanctissimo Missæ Sacrificio diebus Dominicis et Festis de præcepto priventur, vel gravi periculo, ex hac mortali vita sine sacramentis decedendi exponantur, districte, et sub pœna quidem suspensionis ferendæ sententiæ, vetamus, ne Sacerdotes curam animarum gerentes, a congregationibus vel districtibus suis per integram hebdomadam absint, nisi

suffecto vicario ab Ordinario prius approbando, præviam licentiam ab Episcopo obtinuerint.

II. Ut Sacerdotalis ordinis decori consulatur, omnino prohibemus, ne quis Sacerdotum Diœceseos Nostræ, ad cauponas, vulgo dictas "saloons," bibendi causa, nisi in itinere, extra Diœcesim constitutus, vel gravi necessitate compulsus, unquam divertat.

III. Vehementer optamus, ut Sacerdotes Diœceseos Nostræ vestem talarem domi semper deferant. Volumus autem et jubemus, ut sacras functiones in templo peragentes, vel eisdem adstantes hac aliisque vestibus in rubricis præscriptis, utantur.

CAPUT III.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

Quum Sacramenta sint Divinæ Misericordiæ præcipua documenta, fontes quidem uberrimi aquæ salientis ad vitam æternam, pro viribus adlaborare debent animarum pastores eorum naturam et efficaciam fidelibus exponere. Nemini enim dubium esse potest, quin dispositiones quibus ad sacramenta accedendum est, ex eorum natura inspecta atque efficacia rite perpensa, magna saltem ex parte, pendeant. Quo melius autem dispositi fideles ad sacramenta accedunt, eo fructus ampliores exinde percipiunt. Quod vero ad sacramentorum materiam et formam attinet, eorum ministros monemus, ut, opinionibus quas vocant probabiles, rejectis, partem tutiorem præter casum gravissimæ necessitatis, semper eligant.

I. Meminerint Sacerdotes Nostri se esse dispensatores mysteriorum Dei, ac sancta sancte esse pertractanda. Rubricas omnes Ritualis approbati diligenter observent, et summopere caveant, ne ex ignorantia, incuria, aut nimia festinatione errores vel leves in sacramentorum administratione, committant.

II. Statuimus autem, ut Sacerdos Sacramentum in ecclesia administrans, superpelliceo et stola coloris quem sacramenti

ritus exposcit, sit indutus. Quod si in ædibus privatis sacramentum conferat, stola saltem utatur.

CAPUT IV.

DE BAPTISMO.

I. In unaquaque ecclesia ubi Baptismi Sacramentum ordinarie ministratur, fons baptismalis, clavi obseratus, si nondum existat, quamprimum habeatur; prope quem omnia quæ ad hujus Sacramenti ministrationem pertinent, nitide serventur.

II. In baptismo conferendo adhibendus est unus saltem patrinus. Vetamus autem omnino ne ad hoc munus admittantur hæretici vel infideles, aut etiam parvuli, qui fidei rudimenta et patrinorum obligationes prorsus ignorant.

III. Præcipimus, ne unquam Sacerdotes extra ecclesiam hoc Sacramentum conferre audeant, præter mortis imminentem casum, in urbibus unam aut pluras ecclesias habentibus. Qui ruri degunt, aut in pagis et oppidulis, ubi nulla est ecclesia, infantes ad ecclesiam propinquiorem vel in stationem, in qua Sacrum fieri solet, baptizandos adducant. Quod si ob aeris intemperiem, itineris difficultatem, parentum inopiam, vel alias graves causas, hoc fieri nequeat, tunc missionarii prudentiæ et conscientiæ relinquimus, ut eos domi cum omnibus Ecclesiæ cæremoniis baptizet.

IV. Quum baptismus privatus, ob mortis periculum, domi conferendus est, Sacerdos, stola alba indutus, omissis omnibus ante baptismum dicendis vel agendis, "Catechumenum statim trina vel etiam una aquæ infusione rite baptizet; postea vero si tempus adhuc suppetat, et chrisma secum habeat, liniat eum in vertice, et linteolum candidum imponat, candelamque accensam ei porrigat, sicut in ordine baptizandi traditur."

V. Graviter monemus, et sub pœna quidem suspensionis ferendæ sententiæ mandamus, ut quilibet Sacerdos Diœceseos Nostræ, eodem ipso die quo baptismum contulit, baptizati

nomina et alia de administrato baptismo, in libro baptismali describat. Si vero in statione aliqua, vel in ædibus privatis baptismum conferat, illum in Registro ante biduum post reditum ad Ecclesiam, eadem sub pœna, describere omnino tenetur.

CAPUT V.

DE CONFIRMATIONE.

I. Decreto Concilii Plenarii Baltimorensis II inhærentes, statuimus, ut confirmandi habeant patrinos singulos singuli. Quod si hoc fieri omnino nequeat, duo saltem pro pueris patrini, et duæ pro puellis matrinæ adhibeantur.

II. Ad confirmationem non admittantur nisi qui ad primam communionem accesserint, aut proxime sint accessuri.

III. Libri confirmatorum in singulis ecclesiis habendi sunt, in quibus nomina confirmatorum eorumque genitorum, haud minori cura quam in baptismo describendo adhiberi solet, obsignentur. Qua quidem in re conscientiam missionariorum gravamus.

CAPUT VI.

DE SANCTISSIMA EUCHARISTIA.

I. Volumus, districteque mandamus, ut Sacerdotes Diœceseos Nostræ universi ea omnia quæ in Romano Missali habentur adamussim sequantur. Neque in Missæ celebratione cæremonias Romano Missali alienas admittere, vel preces quæ ibidem non continentur recitare unquam præsumant.

II. In Divino Sacrificio celebrando diligentem operam dent Sacerdotes, ut altaria eorumque ornamenta, sacra vasa et indumenta sacerdotalia sint nitida et munda, nec quidquam altari tremendo sit indignum.

III. Volumus ut in ecclesiis quibus diebus Dominicis Missa decantatur, populi aspersio fiat cum aqua illo ipso die benedicta, juxta ritum in Missali Romano præscriptum.

IV. Districte mandamus, ut in Missæ Sacrificio conficiendo vinum certo genuinum, vitis indigenæ tantum fructus adhibeatur. Summopere Sacerdotes Nostri satagant, ut vinum ad sacrificium necessarium quantum fieri potest a Catholicis notæ probitatis obtineant.

V. Prohibemus sub pœna suspensionis ferendæ sententiæ ne Sanctissima Eucharistia alio modo quam in bursa decenter ornata, ad collum appensa atque occulta, super pectus innixa ad ægrotantes deferatur.

VI. Prohibemus insuper, eadem sub pœna, ne Venerabile Sacramentum in ullo loco privato asservetur, nisi scriptis obtenta fuerit licentia Ordinarii. Quod si hæc detur, SS. Sacramentum corporali linteo mundo impositum, clavi ab ipso Sacerdote custodienda obseretur.

VII. Meminerint etiam Sacerdotes sibi non licere Sanctissimam Eucharistiam apud se retinere, aut secum deferre nisi urgente gravi necessitate; quæ si adsit, summa reverentia sese gerant et ab inani quovis colloquio abstineant.

VIII. In omnibus ecclesiis in quibus Sanctissima Eucharistia asservatur, diu noctuque lampas vel cereus, juxta Ritualis Romani monita, præ altari luceat.

IX. In omnibus et singulis ecclesiis in quibus Missa quavis die Dominica celebrari solet, præter indumenta ad missam necessaria, præsto etiam sint pluviale, velum, ostensorium, thuribulum, quidquid demum ad decoram ac solemnem Benedictionem SS. Sacramenti requiritur. Quæ si desint, quantocius obtineri debent.

X. Indulgemus, ut omnibus diebus Dominicis et Festis de præcepto detur Solemnis Benedictio SS. Sacramenti, in illis tantum ecclesiis in quibus prius vesperæ decantatæ fuerint. Ubi vero decantari non solent, vetamus, ne sæpius quam semel in mense, die Dominica, vel Festo de præcepto sine speciali Nostra licentia detur.

XI. Vetamus omnino, ne Sacerdotes Nostri Sanctissimum Sacramentum ex tabernaculo nisi veste talari, superpelliceo et stola induti extrahere, aut ibidem reponere unquam præsumant.

XII. Vetamus insuper ne Venerabile Sacramentum in tabernaculo unquam asservetur nisi clavi in tuto posita loco obseretur.

CAPUT VII.

DE PŒNITENTIA.

I. Monemus animarum pastores, ut paratos semper se exhibeant ad fidelium confessiones excipiendas, præsertim tamen Sabbato et Festorum Vigiliis.

II. Præcipimus, et sub gravi quidem mandamus, ut in omnibus et singulis ecclesiis, ubi desint, confessionalia loco publico et patenti erigantur.

III. Extra confessionale mulierum et puellarum confessiones, secluso casu necessitatis, excipere nunquam licet. Casus autem necessitatis hac in re censetur gravis vel diuturna ægrotatio, surditas pœnitentis vel confessarii, vel demum impossibilitas ecclesiæ adeundæ.

IV. Volumus autem et mandamus, ut præter casum extremæ necessitatis, in stationibus ordinariis, feminarum confessiones in loco patenti et conspicuo, aperto nimirum cubiculi ostio, et cratibus interpositis, excipiantur. Quod si crates nondum existant quamprimum adhibeantur. Qua quidem in re, missionariorum conscientiam oneramus.

V. Præcipimus omnibus et singulis animarum pastoribus, ut feriis quatuor anni temporum confessiones puerorum et puellarum qui ad usum rationis pervenerint, nondum tamen ad primam communionem admissi fuerint, facta prævia et publica ad populum monitione, excipiant.

CAPUT VIII.

DE MATRIMONIO.

I. Ubicumque missa singulis diebus Dominicis celebratur, Bannorum proclamatio, bis, duobus scilicet diebus Dominicis vel Festivis de præcepto continuis, est omnino facienda. Ubi vero missa bis tantum in mense celebratur, una saltem fiat denuntiatio. Ubi rarius Sacrum fieri solet, judicio pastoris num aliqua facienda sit proclamatio relinquimus, dispensantibus Nobis ab una vel una et altera proclamatione.

II. Districte vetamus ne dispensatio a Bannorum proclamatione ob leves causas petatur

III. Cum in Nostra Diœcesi deflendus quidem abusus nimis frequenter dispensationes ab impedimentis matrimonii petendi adhuc vigeat, volumus et præcipimus, ne unquam dispensatio ab impedimentis matrimonii petatur, nisi ipsi pastori morali certitudine constet eam opportunam et ad majora mala præcavenda, necessariam esse.

IV. Graviter monemus Sacerdotes ut officii sui memores, instantius solliciti sint rite disponere fideles qui matrimonio jungi volunt, eosque hortentur, ut ante matrimonii celebrationem sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ pie recipiant.

V. Catholicorum matrimonia, quantum fieri potest, in ecclesia et inter Missarum solemnia benedici volumus.

VI. Matrimonia mixta neque proclamanda neque in ecclesia celebranda, nec demum benedicenda sunt.

VII. Quod lege Ecclesiæ generali jam vetitum est, stricte denuo prohibemus ne Catholici ulli intra Diœceseos Nostræ limites, sive illorum pars utraque, sive una tantum Catholica sit, matrimonium inire coram præcone hæretico præsumant. Qui autem id fortassis audeant, sciant se excommunicationem, Nobis reservatam, ipso facto incurrere.

VIII. Qui autem coram magistratu civili matrimonium inire attentaverint, sive utraque contrahentium pars, sive una tantum

sit Catholica, præter mortis periculum non absolvantur, nisi specialis facultas pro singulis casibus a Nobis obtineatur.

IX. Præcipimus sub pœna quidem suspensionis ferendæ sententiæ, ut ipso die quo matrimonium contrahitur, si in ecclesia celebretur, in librum matrimoniorum, juxta Ritualis præscriptum, ab ipso Sacerdote nuptias benedicente, vel eisdem si non sint benedicendæ, adstante, accurate referatur. Si vero Sacerdos nuptias in ædibus privatis vel in statione benedicat, eisve adstet, ante biduum post reditum ad ecclesiam ubi registrum adservatur, eas sub eadem pœna in registro describat.

X. Præcipimus eadem sub pœna, ut licentia ineundi matrimonium, quam contrahentes ab auctoritate civili obtinent, et ipso Sacerdoti tradunt, intra tempus a lege civili determinatum, ad officialem competentem omnino remittatur.

CAPUT IX.

DE CHRISTIANA JUVENTUTE ERUDIENDA.

I. Volumus districteque mandamus, ut in omnibus urbibus et oppidis ubi quovis die Dominico Sacrum fieri solet, pastor sive per se, sive per alios, pueros et puellas missionis suæ catechismum, per unam saltem horam integram, singulis Dominicis, edoceat. Quod si per alios scholas catecheticas doceri curet, ipse nihilominus pastor, per dimidium saltem horæ, singulis quidem vicibus, eisdem intersit. Qua in re pastorum conscientiam oneramus.

II. Missionarii autem ruri degentes, singulis etiam diebus Dominicis, in locis ubi Sacrum faciunt, si horis pomeridianis pueri et puellæ convocari nequeant, eosdem catechismum, per dimidium horæ ante ultimam missam, edoceant, ipsis sacramentum pœnitentiæ petentibus ad aliud tempus remissis. Hac etiam in re Missionariorum conscientiam gravamus.

III. Enixe Missionarios Nostros in Domino hortamur nullum non movere lapidem, ut scholæ Catholicæ in locis ubi adhuc desiderantur, quantocius fieri potest, instituantur; luctuosa enim constat experientia, juventutem Catholicam ex frequentatione scholarum publicarum in magno periculo morum corruptelæ, quin et fidei amittendæ fere semper constitui. Omni ergo quo valent studio, puerorum Christianæ et Catholicæ educationi Sacerdotes Nostri prospiciant, invigilent et provideant. Cordati quippe Sacerdotis est nulli parcere labori quo lucrifacere valeat animas illorum quos Dominus Noster amantissimis verbis: "sinite parvulos ad me venire" peculiari plane dilectione sibi vindicare dignatus est. Quapropter iterum iterumque, per viscera misericordiæ Dei Nostri, obsecramus Sacerdotes Nostros, ut scholas vere Catholicas prope ecclesiam suam, unusquisque erigendas curet. Si autem opus fuerit, et rerum adjuncta sinant, eisdem ex reditibus ecclesiæ provideant.

CAPUT X.

DE REGIMINE ECCLESIARUM.

I. Decretis, quæ in Concilio Baltimorensi Plenario II de potestate pastorali lata sunt, inhærentes, declaramus ecclesiæ cujusque seu congregationis administrationem soli pastori a Nobis constituto competere: nec licet aliis Sacerdotibus illi in ministerii adjunctis, quidquam præter pastoris voluntatem aggredi.

II. Prohibemus sub gravi, ne ullus Sacerdotum absque proprii pastoris consensu, pro singulis casibus obtinendo, aut ipsa Nostra venia, subditos aliorum pastorum vel Matrimonio jungat, vel ad Baptismum admittat, præterquam vitæ periclitantes, et proprius pastor adiri tempestive nequeat. Si vero occasione vetitæ administrationis oblationes acceperit, easdem illi restituat, cujus fuisset sacramentum ministrare. Si quis

autem hoc decretum contemnere aut non observare præsumat, sciat se, post tertiam illius violationem, suspensionem ipso facto incurrere.

III. Subditi autem cujusque pastoris censentur illi tantum qui, vel intra congregationis suæ limites a Nobis statutos, aut statuendos, degunt, vel in ecclesia scamna vel sedem (*a pew or seat*), conducunt, etiamsi extra limites pastori assignatos, domicilium habeant. Hoc autem in casu, duplicem schedulam extraneorum nomina et domiciliorum descriptionem continentem conficere tenetur, unamque pastori loci, alteram Nobis, quotannis exhibebit.

IV. Caveant pastores, ne quempiam Sacerdotem vagum, extraneum, aut sibi ignotum, missam celebrare vel aliud munus clericale exercere permittant, sine speciali et expressa licentia Nostra. Quod si hæc licentia ob distantiam locorum, aliasve difficultates, comparari commode nequeat, prudentiæ pastoris quid sit agendum relinquimus.

V. Nullæ stationes, nisi in locis quæ quinque saltem millibus passuum ab ecclesia distant, et sine speciali Nostra licentia, erigantur.

VI. Ne Sacerdotibus unquam a mente excidat rerum divinarum scientia, neque parvi æstimetur sacrarum disciplinarum studium, statuimus collationes de rebus theologicis dogmaticis et moralibus, quater quotannis in urbe Ludovicopolitana, bis autem rure esse habendas, locis ac temporibus a Nobis assignandis.

VII. Studeant pastores animarum in ecclesiis sibi commissis, pias confraternitates, nec non mutui subsidii societates religiosas, ne ad sectas secretas fideles declinent, instituere. Nulla tamen in posterum societas instituatur aut existere permittatur, quæ prætextu propriorum agendorum negotiorum, directionem et jurisdictionem pastoris respuerit.

CAPUT XI.

DE REDITIBUS ECCLESIÆ.

I. Cum in presentibus rerum adjunctis haud raro contingat, quod Sacerdotes ecclesiis sibi commissis proprias pecunias in mutuum tradant, præcipimus omnibus et singulis animarum pastoribus ne ecclesias suas, præter necessitatis casum, hisce mutuis gravent. Si vero omnino vitare hujusmodi mutua non valeant, in codicem recepti et expensi ecclesiæ accurate ea referant, nec unquam ultra sex pro centum exigere præsumant. Si quis autem in prædictum codicem ea non referat, earum solutionem nullatenus expetere potest.

II. Sub gravi vetamus omnibus et singulis animarum pastoribus, ne sine licentia Nostra scriptis obtinenda, ad ecclesiam, aut domum pastoralem exstruendam, amplificandam, restaurandam, vel ornandam, sive ex integro, sive ex parte, debita quæ summam centum scutorum excedunt, intra spatium unius anni contrahere audeant.

III. Volumus districteque præcipimus, ut pensionem annuam, salarium communiter dictam, sibi debitam, pastores animarum a fidelibus sibi commissis, omnino quotannis exigant. Quod si congregatio aliqua hanc pensionem solvere nolit, aut non valeat, res Episcopo, mense saltem ultimo ante annum elapsum erit referenda. Qui autem huic decreto contravenerint, sciant se post biennium, omne jus ad pensionem nondum solutam prorsus amittere.

IV. Prohibemus, ne Sacerdotes Diœceseos Nostræ debita personalia contrahant, quin in chirographo promissorio, si detur, clare declaretur congregationem, ecclesiam, successorem vel Episcopum, deficiente aut mortuo mutuatario, ad eorundem solutionem nullatenus teneri.

V. Sub gravi vetamus, ne quis Sacerdotum Diœceseos Nostræ ex bonis ecclesiæ quidpiam præter pensionem ei assignatam, et reditus stolæ dictos, sibi vel domus pastoralis or-

dinariis expensis vindicare præsumat. Porro inter bona ecclesiastica ea connumeranda sunt quæ in religionis subsidium, vel usus ecclesiasticos minime vero ipsi personæ Sacerdotis fideles elargiri solent.

VI. Prohibemus insuper, ne diebus quibus collectæ, in omnibus ecclesiis et stationibus ab Episcopo præscriptæ, faciendæ sunt, quidquam ex oblationibus fidelium, quocumque titulo, retineatur.

VII. Singulis annis, ante diem primam Augusti, universi et singuli pastores pecuniæ receptæ et expensæ intra annum schedulam conficiant, quam a duobus viris, altero a pastore, altero autem a Nobis electo, examini subjectam et confirmatam Nobis exhibeant. Qui huic decreto contravenerit, sciat se ipsa prima die Augusti suspensionem ipso facto incurrere.

VIII. Nemini fas est de nova ecclesia, domo pastorali, vel schola exstruenda, amplificanda vel restauranda, aut de prædiis comparandis, quidquam, sine Nostra licentia scripto obtenta, statuere aut moliri.

QUINTA SYNODUS

DIŒCESANA LUDOVICOPOLITANA

IN ECCLESIA CATHEDRALI,

DIE III. JANUARII, A. D. MDCCCLXXXIX.

HABITA.

OFFICIALES ET SYNODALES.

PONTIFICI MISSAM CELEBRANTI ADSTABANT:

Presbyter Assistens—Adm. R. D. Michael Bouchet, V. G.

Diaconi Honorati—R. D. Michael Lawler, R. D. Terentius J. Disney.

Diaconus Missæ—R. D. L. Bax.

Subdiaconus—R. D. L. Bax.

Magistri Cæremoniarum—R. D. Patricius Rock, R. D. Carolus P. Raffo, R. D. Jacobus Cronin.

OFFICIALES SYNODI:

Archidiaconus—Adm. R. D. Michael Bouchet, V. G.

Promotor—Adm. R. D. Alexander J. Harnist.

Notarius—Adm. R. D. C. J. O'Connell.

Procurator Cleri—R. D. Alexander J. McConnell.

Secretarii—Adm. R. D. Guillelmus P. Hogarty, Adm. R. D. Ludovicus G. Deppen.

Judices Querelarum et Excusationum:—R. D. Franciscus Zabler, R. D. W. P. Mackin, R. D. Guillelmus Buckman.

Magistri Cæremoniarum—R. D. Patricius Rock, R. D. Carolus Raffo, R. D. Jacobus Cronin.

Cantores—R. D. P. Fermont, R. D. Josephus Hogarty, R. D. Carolus Raffo, R. D. Ludovicus Ohle.

EXAMINATORES CLERI RENUNCIATI SUNT:—Adm. R. D. M. Bouchet, V. G., Adm. R. D. Georgius McCloskey, V. G., Adm. R. D. A. J. Harnist, R. D. L. Bax, R. D. T. J. Disney, R. D. P. M. J. Rock, Adm. R. D. W. P. Hogarty, Adm. R. D. Thomas F. Tierney, Adm. R. D. C. J. O'Connell, Adm. Rev. L. G. Deppen.

DECRETA.

CAPUT I.

DE DECRETIS CONCILII PLENARII BALTIMORENSIS III. NECNON CONCILII PROVINCIALIS CINCINNATENSIS IV.

Decretorum Concilii Plenarii Baltimorensis III promulgationem renovantes, vim quoque suam et robur, in Diœcesi Nostra, decreta Concilii Provincialis Cincinnatensis IV. habere declaramus.

CAPUT II.

DE RELATIONE INTER RECTORES ECCLESIARUM EORUMQUE ASSISTENTES.

Ubi duo vel plures sunt sacerdotes Ecclesiæ adscripti soli rectori ab Episcopo constituto, pastoralis competit auctoritas. Reliqui sacerdotes ejus sunt dumtaxat assistentes, atque in iis quæ celebrationem Missæ, administrationem Sacramentorum, visitationem infirmorum, divini verbi prædicationem, scholarum directionem, verbo demum, in omnibus quæ externum parœciæ regimen vel internam domus pastoralis disciplinam spectant, eidem obtemperare tenentur.

CAPUT III.

DE SUBDITIS CUJUSQUE RECTORIS.

I. Decretum diœcesanum (Syn. IV. pag. 15, decr. III.) quo fidelibus permittitur scamna vel sedes (pews or seats) in ecclesia, extra propriæ parœciæ limites sita, conducere, in posterum ad eos restringetur qui intra limites (the corporate limits) civitatis in qua duæ aut plures habentur ecclesiæ degunt.

II. Qui hac ratione scamna vel sedes in aliena ecclesia sibi conducent, eo ipso illius ecclesiæ rectoris subditi constituuntur.

III. Fidelibus qui ruri et extra civitatis limites domicilium habent ad alienam ecclesiam, dum in eodem loco manent, transire ut eidem adscribantur, non licebit, nisi præviam Episcopi licentiam scriptis consecuti fuerint.

IV. Si de limitibus unicuique propriis lis inter rectores rurales exoriatur, rem inter se amice componant. Quodsi intra tres menses sibi invicem consentire nequeant, ad Episcopum recurrere debent, cujus deinde erit tres designare viros qui cuique limites adjudicabunt.

CAPUT IV.

DE REGESTIS IN SINGULIS ECCLESIIS HABENDIS.

I. Rectores omnes sequentia regesta, unusquisque in ecclesia sibi credita, habere atque servare tenentur: librum baptizatorum, librum confirmatorum, librum matrimoniorum, librum status animarum et librum defunctorum.

II. In singulis actis describendis, omnia clare et nitide, ac sine ulla verborum, personarum nominum, diei mensis vel anni abbreviatione, exprimi ita debent, ut etiam in foro civili, si opus sit, fidem faciant.

CAPUT V.

DE ORATORIIS ET SACELLIS PRIVATIS.

In diœcesi Nostra, tum in urbe Ludovicopolitana tum aliis in locis, ingressus Sacellorum Conventuum, Scholarum, Nosocomiorum, Orphanotrophiorum, aliorumve asylorum laicis extraneis ut ibidem Sacrificio Missæ, Vesperis vel Benedictioni Sanctissimi Sacramenti intersint omnino interdicitur. Solius Episcopi erit judicare num in casu particulari exceptio fieri debeat.

CAPUT VI.

DE EPHEMERIDE "THE RECORD."

I. Quæcunque in ephemeride, cui titulus "the Record" sub nomine Nostro, vel auctoritate Nostra evulgantur, vim et robur

in posterum habebunt perinde ac si unicuique, verbo vel scripto, injuncta fuissent.

II. Quum hæc ephemeris ampliori jam forma in lucem publicam edatur atque reditus exinde provenientes in orphanorum sustentationem destinentur, pergratum Nobis erit si ecclesiarum rectores ejusdem diffusioni in suis missionibus adjutorium præbeant.

CAPUT VII.

DE COLLECTIS.

I. Per mensem integrum ante collectionem a Summo Pontifice aut ab Episcopo præscriptam, specialem, ad usus locales, collectionem instituere de cætero non permittitur.

II. Præter collectiones quas Episcopus specialibus de causis indicet, sequentes quotannis habendæ sunt:

Pro Nigris et Indianis, Dominica prima Quadragesimæ,
Pro Seminario majori, Dominica Resurrectionis D. N. J. C.,
Pro Terra Sancta, Festo Ascensionis D. N. J. C.,
Pro Papa, Dominica prima Julii,
Pro Seminario minori, Festo Nativitatis D. N. J. C.

III. Vehementer optamus ut in ecclesiis suis Societatem Fidei Propagandæ quæ maximo auxilio, olim Diœcesi Nostræ fuit, instituant atque semper foveant.

IV. Collectæ recensitæ quotannis, diebus statutis, habendæ sunt, etiamsi nulla specialis monitio præmittatur.

V. Quotiescunque a Summo Pontifice vel ab Episcopo collecta præscribitur, aliam, ad instar collectæ Dominicalis ordinariæ habere de cætero non licebit. Neque fas erit tantam ex pecuniis collatis summam subtrahere, quanta consuetæ collectæ foret æqualis. Consuetudo autem habendi hisce diebus, collectam dominicalem ordinariam pro sustentatione ecclesiæ, vel subtrahendi aliquam collectæ partem, ubicunque invaluerit, statim et quidem sine ulla ulteriori monitione, est tollenda.

CAPUT VIII.

DE MODIS QUIBUSDAM PROHIBITIS PECUNIAS COLLIGENDI.

I. Ea quæ Concilium Plenarium Baltimorense III (pag. 166 n. 290 *seqq.*) de conventibus nocturnis vulgo, "picnics, excursions," dictis, necnon de choreis (balls) statuit, in posterum, per universam Nostram diœcesim executioni stricte mandabuntur.

II. Nulli rectori fas erit pecunias hisce modis collectas sive pro ecclesia sive pro domo pastorali, aut pro schola vel religiosarum domo, aliove demum quolibet fine, accipere, etiamsi ipsemet hujusmodi conventui consenserit, aut proprium assensum denegaverit.

CAPUT IX.

DE DEBITIS NON CONTRAHENDIS ET PECUNIIS NON EXPENDENDIS.

I. Nulli rectori in posterum licebit, ecclesiam cui præest ære alieno gravare, aut etiam pecunias quas præ manibus habeat, expendere ad vestimenta vel vasa sacra aut alia quælibet ad usus ecclesiasticos comparanda, sine prævia Nostra licentia scriptis in singulis quidem casibus obtinenda.

II. Pia legata aut pecuniæ ecclesiæ oblatæ in posterum, inconsulto Episcopo, non expendantur.

III. Decretum quo olim rectori permittebatur debita quæ centum scutatorum summam non excederent, intra spatium unius anni contrahere (Syn. Diœc. IV., pag. 16, decr. II.) omnino revocamus.

CAPUT X.

DE SOCIETATIBUS MILITARIBUS.

Societates militares cum ornatu suo ecclesiam non ingrediantur nisi vere Catholicæ sint et directorem spiritualem ab Episcopo constitutum habeant.

CAPUT XI.

DE VISITATIONE EPISCOPALI.

In visitatione Episcopi cæremoniæ in Pontificali Romano præscriptæ sunt servandæ. Qua super re lectio Cæremonialis (Ceremonial of the Catholic Church, pag. 383 *seqq.*) rectoribus commendatur.

Si horis matutinis fiat Visitatio, Missa Cantata celebranda est nisi Episcopo aliter visum fuerit.

CAPUT XII.

DE BANNORUM PROCLAMATIONE.

I. Statutum quo olim bina vel etiam una tantum bannorum proclamatio requirebatur (Syn. diœc. IV. pag. 12 decr. I.) omnino revocamus, atque præcipimus ut in posterum trina in singulis ecclesiis proclamatio, diebus Dominicis vel Festis de præcepto, fiat.

II. Si matrimonium contracturi ex diversis sint parœciis, bannorum proclamatio in utraque ecclesia erit facienda.

III. Si concedatur dispensatio super impedimento temporis clausi, banna sunt nihilominus more consueto proclamanda.

CAPUT XIII.

DE CANCELLARIA.

I. Dispensationum matrimonialium petitiones omnes ad Cancellarium dirigi debent. Ad Nos autem vel ad Vicarium Nostrum Generalem, secluso urgentis necessitatis casu, non mittantur.

II. Quando agitur de casibus in quibus eleemosyna dispensationem petentibus, de præcepto Sedis Apostolicæ, est injungenda, rectores inquirere debent num sint oratores divites, aut saltem satis affluenter viventes, vel inter pauperes et miserabiles sensu juris canonici sint connumerandi. Graviter

autem peccarent oratores, qui, ut obligationem eleemosynæ erogandæ declinent, veritatem hac in re celarent.

III. Super impedimentis disparitatis cultus vel mixtæ religionis dispensationes petentes, in ipsamet petitione declarare debent, num cautum sit conditionibus ab Ecclesia præscriptis.

IV. Quæ ad eleemosynam erogandam ab iis qui dispensationes matrimoniales petunt pertinent, rectores ecclesiarum aliique sacerdotes fideliter, ea quæ in speciali, hac super re, die II Februarii hujus anni Instructione edita, observare tenentur.

SEXTA SYNODUS

DIŒCESANA LUDOVICOPOLITANA

IN ECCLESIA CATHEDRALI,

DIE XIX. DECEMBRIS, A. D. MDCCCXCV.

HABITA.

Apostolic Delegation.

U. S. OF AMERICA.

No. 2670.

WASHINGTON, D. C., 18. Feb., 1896.

Illustrissimus et Reverendissimus Guillelmus McCloskey, Episcopus Ludovicopolitanus, Sacræ Congregationi de Propaganda Fide exposuit Synodum diœcesanam celebratam, ac die 19 Decembris, 1895, decreta a Synodo lata fuisse ab ipso in Ecclesia Cathedrali coram Synodo promulgata, ita ut ea a die 1. Januarii, 1896, legis vigorem obtinerent, quin tamen prævium Consultorum consilium quemadmodum in Art. 20, Conc. Plen. III Balt. injungitur, exquisitum fuerit. Hæc autem omissio inadvertenter ac bona fide accidit. Proinde Illustrissimus et Reverendissimus Episcopus supplices preces exhibuit ut necessaria sanatio in casu concederetur.

Porro cum S. C. de Propaganda Fide per literas diei 17. Januarii, 1896, facultatem Emno. Pro-delegato Apost. fecerit sanationem concedendi ac cum Nobis die 11. Februarii, 1896, ea fuerit subdelegata, Nos, re mature ac diligenter perpensa, utentes facultate Nobis subdelegata, imploratam sanationem in casu per præsentes impertimur ita ut decreta præfatæ Synodi a a die 1. Januarii, 1896, plenum legalem vigorem habeant.

Datum Washingtonii, die 18. Februarii, 1896.

DONATUS SBARETTI,

Auditor Apostol. Delegationis.

L.S.

OFFICIALES ET SYNODALES.

EXAMINATORES CLERI RENUNCIATI SUNT:

Adm. Rev. D. Michael Bouchet, V. G.,
Adm. Rev. D. Ludovicus Miller, O. M. C., S. T. D.,
Rev. D. Patricius Rock,
Rev. D. Patricius Walsh,
Rev. D. Franciscus Zabler,
Rev. D. Georgius Schuhmann, S. T. D.

OFFICIALES SYNODI:

Archidiaconus—Adm. R. D. Michael Bouchet, V. G.

Promotor—Adm. R. D. Ludovicus Deppen, Cancellarius.

Judices Querelarum et Excusationum:—R. D. Henricus Connolly et R. D. Andreas Brady.

Procurator Cleri—Adm. Rev. Guillelmus Hogarty.

Secretarius—R. D. Georgius Schuhmann, S. T. D.

Notarius—R. D. Eduardus Lynch.

Magistri Cæremoniarum—R. D. Patricius Rock et R. D. Thomas York.

Magistri Cantorum—Adm. R. D. Josephus Hogarty et R. D. Carolus Raffo.

Testes Synodales—R. D. Daniel O'Sullivan et R. D. Henricus Connolly.

DECRETA.

I. Constitutio jam in Synodo Diœcesana IV. (pag. 14, decr. II.) promulgatas secundum quam sub gravi prohibitum est:—"ne ullus sacerdotum absque proprii pastoris consensu, pro singulis casibus, obtinendo, aut ipsa Nostra venia, subditos aliorum pastorum vel Matrimonio jungat, vel ad Baptismum admittat, præterquam vitæ periclitantes, et proprius pastor adiri tempestive nequeat. Si vero occasione vetitæ administrationis oblationes acceperit easdem illi restituat, cujus fuisset sacramentum ministrare. Si quis autem hoc decretum contemnere aut non observare præsumat, sciat se, post tertiam illius violationem, suspensionem ipso facto incurrere"—eo mitigatur ut si quis hoc decretum contemnere aut non observare præsumat, post unam eius violationem suspensionem sententiæ ferendæ incurrat, et omnino abrogetur imminatio suspensionis ipso facto incurrendæ.

II. Licentia Episcopi obtinenda est, sub pœna suspensionis sententiæ ferendæ, quoties ultra tres dies (72 horas) a congregatione sua sacerdos quilibet, curam animarum in hac diœcesi gerens, abfuturus est.

III. Taxa, quæ pro Missarum Cantatarum eleemosynis constituitur ex quinque scutatis ($5.00), servanda est, sub pœna suspensionis ferendæ sententiæ, in quacunque ecclesia hujus Diœceseos.

IV. Confessiones die Sabbati usque ad saltem horam decimam postmeridianam in urbe Ludovicopolitana, si pœnitentes confiteri cupientes adsint, audiendæ sunt sub pœna suspensionis sententiæ ferendæ. In omnibus vero urbibus oppidisque habentibus non minus quam 5000 incolas, confessiones, sub eadem pœna, eodem die usque ad saltem horam nonam postmeridianam audiendæ sunt.

V. Matrimonia in ecclesia celebranda (exceptis raris casibus) post horam quartam postmeridianam omnino prohibentur.

VI. Mixta matrimonia in urbibus et oppidis nonnisi in domo parochiali celebranda sunt.

VII. Episcopus certiorfaciendus est de omnibus pecuniis ecclesiæ cuicunque testamentarie relictis a sacerdote cujus curæ ipsamet ecclesia demandata est, sub pœna suspensionis sententiæ ferendæ.

VIII. Salarium sacerdotum curam animarum gerentium nonnisi ex ordinariis reditibus ecclesiæ, Episcopi Cathedratico, salario organistæ et sacristani aliorumque mercenariorum ecclesiæ, impensis lucis, alimentorum, fœnoris, quibuscumque aliis usitatis sumptibus persolutis, desumendum est, ne augeatur æs alienum ecclesiæ.

IX. Salarium cooperatorum sacerdotum definitur ex sexcentis scutatis ($600.00), ad quorum trecenta ($300.00) jus habet rector ad sustentandum cooperatorem.

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
3 0311 00108 4057

BX 838 .L68 1874
Catholic Church. Diocese of
Louisville (Ky.). Diocesan
Synodi Diocesanae
Ludovicopolitanae IV., V.,

3 0311 00108 4057